
MATTHIADIS
LIBER
I SAXONIS









HISTORICA PRÆCIPVA LIBRI PRIMI SAXONIS, QVI REGVM DANICORVM ET NOMINIS DANICI originem, ac Regum aliquot primorum res gestas continet, carmine scripta

ad

NOBILISSIMVM VIRVM, ERVDITIONE, SAPIENTIA, PIETATE omniq; virtute ornatißimum D. IOHANNEM FRIIS, Dominum de Heßelagger, Inclyti Regis DaniæCancellarium prudentißimum, Dominum suum summa obseruantia colendum.

Autore

IACOBO MATHIADE Arhusiensi.

His addita est series & genealogia Regum Danicorum, qui ante natum CHRISTVM regnarunt.

WITEBERGÆ IN OFFICINA LAVRENTII SCHVVENCK.
1568.

HI

A

C A
D

Tu qu

IOH

Ampli

Cuius

Et reg

Nostra

Hu

Quinon

More p

Relligi

Anglus

Qui post

Illorum

At Da

Danoru

Teutoni

Dotibi

Optata

Hic non

SAXONIS CARMINE CONSCRIPTA

AD MAGNIFICVM DOMINVM IOHANNEM FRIS, REGIS DANIAE Cancellarium, &c.

Carminibus Regum Danicæ primordia gentis
Dicturo mihi Christe faue viresq; ministra.
Tu quoq; Mecœnas, columen, spes, gloria Musis,
IOHANNES, FRISIVM qui nomen stemma genusq;
Amplis virtutum decoras & laudibus ornas,
Cuius consilijs multos feliciter annos
Et regnum & plures vsi sunt ordine Reges,
Nostra fauore tuo sine vela ferantur & aura.
Humblo patre sati fuerant & Danus & Anglus.
Qui nondum titulumq; & nomen regis adepti,
More patrum, leges dictabant & pia iura,
Relligione Deûm frenantes pectora vulgi.
Anglus ijs populis nomen fecisse putatur,
Qui post acciti auxilio iuuere Britannos,
Illorumq; suo mutârunt nomine terram.
At Danus nomen Danis, & regibus ortum
Danorum stirpemq; dedit, Qui fœdere lecti
Teutonicis ortam terris & sanguine Grytam
Dotibus insignem sibi iunxit: Quæ grauida illum
Optata fecit bis prole enixa parentem,
Hic nomen referebat aui, fuit ille Lotherus.

HVic primùm diadema datum, regniq́ corona
Et regis sceptrum, Primusq́ hic in ordine Rex est,
Sed non hoc fausto nactus satis omine nomen.
Namq́ illum iniusti regno vis æmula fratris
Deiecit victum & dominandi sæua libido.
Sic etiam nascens fraterno sanguine Roma
Imbuta est. Humblus quamuis inuitus honores
Amisit, tamen infractus vultuq́ sereno
Semper erat similis gaudenti: siue dolorem
Nil profecturum voluit sic dissimulare,
Ne magis in sese fratrem irritaret agrestem:
Seu quia iam curis regni magnisq́ periclis
Defuncto licuit securam ducere vitam.

LOTHERVS II.

SEd frater per vim perq́ arma tyrannide rapta,
More tyrannorum queîs cuncta timere necesse est,
Vt se firmaret, fraternos cœpit amicos
Tollere & ad pœnas fidos raptare clientes:
Inde in suspectum quemuis discrimine nullo
Grassari: hinc opibus cautè spoliare potentes,
Prætextu iuris primùm, mox & violentè.
Cumq́ ita sæuiret passim sine fine modoq́
Terribilis cunctis, populus tandem omnis ad vnum
Ira conspirans affecit morte tyrannum.

Filius huic Skioldus, cui quod vitam meliores
Formarent teneram mentemq; animumq; magistri,
Virtutis puerum & iuris præcepta docentes,
Dissimilis morum factus vitæq; paternæ,
Quod scelere amisit genitor, virtute recepit
Imperium & pulcrè gessit fortissimus heros.
Nam fortasse Humblus vel fastidiuerat illud,
Vel iam functus erat fatis & mortuus antè.
Corporis augusti præstabat robore Skioldus,
Idq; excercitijs crebris vsuq; iuuabat.
Ante annos gestans animumq; habitumq; virilem,
Edidit ingenij specimen maturius, vrsum
Namq; in venatu manibus comprendere viuum
Non timuit, qui fortè sibi clamoribus actus
Latratuq; canum fuit obuius, horrida palmis
Colla premens, zonæq; innectens guttura vinclo.
Inde aliquot vicit pollentes robore & armis,
Attalus hos inter clari Scatusq; fuère.
Exemplo fartassis aui peregrina placebat
Fœmina, Teutonicis & erat pulcerrima terris
Aluilda. Hanc igitur Iuuenis pro se impiger ambit.
Aemulus ardebat Scatus quoq; nobilis illam,
Dux Alemannorum. Quare aut decernere ferro
Res & causa iubent, aut dulces perdere amores.
Ergo vtrinq; parant se ad bellum atq; arma capessunt,
Castraq; sunt castris collata. Skioldus amoris

Iræq; impatiens campo progreßus, & altus
Stans acie, solus solum in certamina poscit,
Congreßumq; agili castris spectantibus ense,
Haud mora longa fuit, media prostrauit arena,
Atq; nouum victor cepit cum coniuge regnum.
Teutonicos fines & vectigalia primus
Adijcit hic Danis. Sed cara Aluilda Skioldo
Virtute & vitæ tantis asserta periclis,
Nupta viro peperit natum cognomine Gramum,
Viribus haud vlli membrorum animisue secundũ.
Nec patriam imperio tantùm feliciter auxit;
Ast & iudicijs & iure & legibus æquis
Ornauit, studijsq; armorum militiæq;
Instruxit, fuit atq; potens Dux arte medendi,
Qua promptè quosuis facilisq; bonusq; iuuabat,
Vt fuerit regni rex & patriæ pater idem.
Vnde etiam illius reliquos de nomine reges
Posteritas longo Skioldungos tempore dixit.

GRAMVS IIII.

ALuildæ & Skioldi Gramus generosa propago
Et studia est vitam, patris moresq; imitatus,
Ni quod non rarò talami mutarit amores.
Ars huic in primis pugilum iucunda fuiße
Dicitur & validos multùm exagitaße lacertos.
Molli blandus adhuc ætate Roarius ipsi
Tutor & a teneris fuerat nutritius annis.

Cuius vt officium grato pensaret honore,
Natam eius lecti iunxit sibi iure: sed illam
Postmodò, cum Grouam superinduxisset, amico
Insigni & socio Besso concessit habendam,
Cuius consilijs operaq; frequentius vti
Consueuit, quiq; ipsi aderat ceu fidus Achates.

GRAMI EXPEDITIO I.

TVm Sueticis princeps Sictrugus præfuit oris,
Impius in sobolem, quam monstro iungere nato
Stirpe gigantea stabilemq; dicare parabat.
Cuius vt ad Grami peruenit nuncius aures,
Forsitan à caris studio transmissus amicis
Virginis, indignam rem commiserantibus atq;
Consilium à Gramo poscentibus auxiliumq;:
Is nil cunctatus, Bessum sibi iungit, & oras
Infestus Sueonum finesq; hostiliter intrat.
Hîc fortè ascito Besso dum Gramus opacum
Subnemus ingreditur, pelles & robora clauæ
Ingentis gestans, sese fert obuia virgo,
Groua cui nomen, paucis comitata puellis,
Quadrupedis tergo insidens, & corpore pallam
Formoso nigram talos induta tegentem:
Huncq; vbi setigera tunica conspexit amictum,
Monstrosum esse putans sponsum, perculsa repèn-
Obstupuit, roseoq; tremens expallauit ore. (tè

Vt primùm ad ſeſe rediјt, mentemq́ recepit,
Ipſi vt tentarent mentem illius, aſperiori
Et ficta primùm compellant voce puellam.
Protinus at diris illa execrata maritum
Deuouet, & crebro gemitu ſuſpiria ducit.
Quod cum Rex ſenſit, mox ſeſe prodit & ipſam
Demulcens placidè verbis affatur amicis,
Quis ſit, quid veniat, Suetica ſue acceſſerit oras
Edocet, & varias nectit miſcetq́ loquelas.
Interea virgo paulatim concipit ignem,
Et iuuenis Grami tacito inflammatur amore.
Ac primùm peragit ſupplex & blandula voce
Quas potuit grates, Quod ſit dignatus adire
Nomine tanta ſuæ tam ſponte pericla ſalutis,
Quodq́ ſui aſſertor veniat, domitorq́ gigantum.
Inde ſuos ipſi talamos tædaſq́ iugales
Vltrò offert, patris dextro ſi numine Diuûm
Incolumis iuſta Sictrugi à cœde reuertat.
Moxq́ fidem inter ſe dantq́ accipiuntq́ viciſſim
Coniunctis dextris, & mutua munera donant.
Hinc digreſſus iter Regis tendebat ad aulam,
Inq́ via varios claua multauit & enſe
Hinc inde oblatos prædones impete cæco.
Et quia doctus erat patrijs cum ſoluit ab oris
Auro Sictrugum ſuperandum, id voce volucres
Admonuiſſe, igitur clauæ fuluum adijcit aurum,
Cuſtodes vitæ corrumpens munere Regis,
Et ſolers adiens hac ſuſtulit arte tyrannum.

Iamq́

Iamq́ tenens regnum turbantem multa Suarinum
Oppreßit, ſobolemq́ patris de morte furentem
Vnam poſt aliam longo ordine ſuſtulit, omnes
Octo bis fuerant numero ſexuſq́ virilis.
His geſtis, Skioldus canis iam ſegnior annis
Atq́ ætate grauis, nato cum tradere regnum
Vellet, adhuc regni viuens in parte locauit
Accitum, & rerum ſecum præfecit habenis.
Fertilis in medio colitur Sialandia ponto
Inſula, Quam Reges habitarunt tempore multo.
Et nunc magnanimi FRIDERICI regia ſedes,
Illîc quam poſuit proprio de nomine dictam,
Famà hominum celebris celebrem quoq́ fecit eandem.
Hîc quidam tumidus genere & natalibus, ortus
Ringo, patris Skioldi ſenium, natiq́ iuuentam
Deſpiciens, ſceptri ſtolidè affectabat honores.
Iamq́ manum demens non paruam fecerat atq́
Clam populi miro geminis à regibus aſtu
Auulſam armarat, ſubitò cum prodita res eſt,
Atq́ ſine euentu molimina cœca repreſſa,
Et Ringo dignas pendit pro crimine pœnas.

II. EXPEDITIO IN FINlandiam.

INde domi regno firmato compoſitiſq́
Omnibus in Sueticos fines tractuſq́ regreßus,
In Finnos Suecis vicinos expedit arma.

Hîc dum bella gerit, ſubitò mutatur ab hoſte.
Nam Sumblo regi Finnorum filia Signe
Arctoas inter fuerat pulcerrima nymphas:
Hanc malè Rex ſanus, ſubitaq́ cupidine victus
Supplex & poſitis enixius expetit armis.
Annuit huic Sumblus, quò fraudem necteret hoſti,
Pactus vt ex agris hoſtile abduceret agmen,
Inde reuerſurus moxq́ accepturus amatam.
Credula res amor eſt, Gramus ſpe ductus inani
Hoſtilem abſcedens ſoluit formidine terram.

III. EXPEDITIO ADVERSVS Suibdagerum Regem Noruegiæ.

RES tum Noruagiæ Rex Suibdaggerus habebat,
Noruagiæ Cronijs quæ fluctibus Oceanoq́
Alluitur, Zephyros ſpectans geminosq́ triones,
Vltima terrarum, ſpirantes frigora Cauros
Vndasq́ excipiens ſcopulis & rupibus altis,
Sidera quæ niueo rutilantia vertice tangunt.
Vrſæ hanc extremam perſtringit ſtella minoris
Quæ caudæ in medio paruo conuertitur orbe.
(Hæc cum vicinis Scandinorum Sueonumq́
Gottorumq́ plagis priſcis eſt Baltia dicta,
Vnde & nunc priſcum ſeruant quoq́ littora nomen,
Europæ meritò poſſet pars altera dici.)
Gens habitat terram, qua non propè iuſtior vlla
Aut magis hoſpitijs indulgens. credo per illos

Aſtrea

Astrea excedens terris vestigia summa
Fecit, & in cœlum paribus se sustulit alis.
Tunc & magna fuit vis atq; potentia genti,
(Quæ tibi nunc paret Domino FRIDERIce benigno,)
Sed Dux lasciuus formarumq; insidiator.
Hic Grami raptas tenuit natam atq; sororem,
Cum bellum à Finnis Gramusq; reportat amorem.
Ergo huc iratos animos & robora belli
Conuertit, longoq; exercet tempore Martem.
Perfidus at Sumblus mox pacta & fœdera rumpens,
Saxoniæ Henrico Regi te candida Signe
Elocat, accitoq; statim pro coniuge tradit.
Sed fama extemplò hoc ad Grami pertulit aures,
Cum foret in castris, Quibus ipse repentè relictis
Sumblini repetit cum paucis limina regni,
Et medicum simulans regalia tecta subintrat,
Atq; epulis festis interueniensq; hymenæis,
Cum iam conuiuas vinum somnusq; grauaret,
Henricum obtruncat sponsum, sponsamq; suorum
Amplexu extortam rapuit sua gaudia Signen.
 Verùm hìc externæ Veneri dum militat absens,
Exciderat regno infelix, sceptrisq; paternis.
Saxonica adiutus nam pube operaq; Dagerus
Magnanimos Cimbros populosq; subegerat omnes.
Sed redit & serò committens prælia Gramus
Cum Suibdaggero, dum pugnat fortiter et rem
Sustinet inclinatam, inter media occidit arma,
Teq; Dagere trium regnorum augebat honore.

PIgnora post mortem sibi Gramus bina reliquit
Vltores mortis: Guthormum quem prior ipsi
Groua enixa dedit coniunx: Tum matris Hadingum
Eximium Signes Findensis origine Findum:
Hos sibi commißos nutribant Hapflius atq;
Vagnopthus Sueticis celeberrima nomina terris.
Sed postquàm matura annis adoleuerat ætas,
Dania Guthormo precibus lacrymisq; sororis,
Quæ Suibdaggeri fuit vxor, filia Grami,
Conceßa est misero veluti prouincia, de qua
Redderet vt seruus rationes, atq; tributum
Penderet, & faceret nil non mandante Dagero.
At patrem referens clarum generosus Hadingus
Non mendicandum statuit sibi debita sceptra,
Exemploq; patris iuuenilibus acer in annis
Vsibus armorum, belliq; assuescere curis
Instituit, pulcrumq; decus virtutis amare,
Ocia & illecebras vitamq; exosus inertem.

I. EXPEDITIO IN LIVONIAM & uicinas terras.

PRincipio in paruis exordia prima pericli
Facturus, cuidam piratæ fœdere iunctus,
Cui Lisero nomen, piratasq; æquore pellens

Inde

Inde ipse infestas circrum fert littora naues.
Curetum tandem ventis delatus ad oras,
(Nunc vbi, MAgne, tibi seruit Curonia diues,
Et patris & regis, quem sæcula nulla silebunt,
CHRistiani patris patriæ stirps inclyta Magne)
Nauibus egreßus fines populatur & vrit.
Sed raptis Lokerus, qui tum Rex præfuit illic,
Occurrens armis, fugientes littore toto
Compulit in naues, & serò terga pudore
Vertentem ac tardè fugientem cepit Hadingum,
Carcereq; inclusit conseruauitq; leoni.
Nox ruit & terram fuscis amplectitur alis,
Custodes somno indulgent, & vincula duris
Vnguibus elidit, Gramiusq; elabitur heros,
Carnificemq; sibi (steterat propè) manè futurum,
Inuadens anima spoliat vitaq; leonem,
Et reditum ad socios media de nocte tenebat.
Progreßusq; illinc quæ proxima littora vexat,
Regemq; Haduannum fortuna audacior intra
Mœnia conclusum Dunæ circumsidet urbis.
Quam vi diffisus se posse excindere, longas
Pertæsusq; moras, tali rem perficit astu.
Aßuetas vrbi volucres Pandione natas
Accipit, illarumq; faces suspendit ab alis.
Quæ mißæ nidos & dulcia tecta reuisunt,
Ignaræq; doli sua secùm in limina pestem
Asportant, latèq; serunt incendia tectis.
Protinus à portis omnes statione relicta

Diffugiunt, ignemq́ petunt & mœnia nudant,
Discursant laticesq́ ferunt, siphones & vrnas,
Scalisq́ & manibus fumantia culmina curuis
Aeratisq́ onerant vncis, iam deniq́ nullus
Hostis erat, solus Vulcanus pessimus hostis.
Tum verò haud segnis portas molitur Hadingus,
Inq́ vrbem irrumpit flammisq́ metuq́ ruentem,
Haduannumq́ capit. Qui sese diues ab hoste
Argenti redimit multis auriq́ talentis.
Fortunæ auspicijs Gramides melioribus vsus
Deinde alias circùm vicinas vndiq́ gentes
Edomuit regniq́ sui sub iura coegit.

II. EXPEDITIO IN SVECIAM aduersus Suibdagerum.

IAmq́ suum audierat germanum fraude Dageri
Sublatum, & Danos votis exposcere regem.
Ergo opibus tantis iampridem & viribus auctus
Tempus adesse putat, repetat quo sceptra paterna,
Et iustas patris & fratris pro sanguine pœnas.
Comparat ergo nouam multo cum milite classem,
Occiduosq́ petit Sueones oriente relicto.
Terra iacet medios inter Gotlandia fluctus
Suedinas contra terras, Hîc classe superbum
Regem occurrentem Daggerum occîdit Hadin-
(gus,

III. EXPEDITIO ADVERSVS Asmundum filium Suibdageri.

INterea Asmundus vindex patris agmina bello
Cogit & instaurat vires, nec segnior ipsum
Excipit Haddingus belloq; prioreq; lacessit.
Confligunt acies, grauiter pugnatur vtrinq;.
Filius Asmundi primùm illam sanguine pugnam
Imbuit Henricus, Quem mox pater ipse secutus
Haddingi manibus cecidit pugnamq; diremit,
Iamq; labans ictum moribundus cuspide ferri
Sauciat Haddingū, claudumq; hoc vulnere fecit.
Affuit hîcq; senex caro Vagnoptus alumno
Consilijs operaq; accinctus acynace curuo.
Asmundum Sueones Vpsalæ in collibus amplo
Funere mandarunt terræ tumuloq; superbo,
Vnaq; vxorem Gunuildam quæ sibi mortem
Coniugis ingenti luctu & consciuit amore.
Hinc vrbes & agros ferro vastabat & igne
Haddingus spolijs rapiens circùm agmen onustum.
Quem contra se offerre haudausus filius Vffo
Asmundi, in fines legiones traijcit hostis,
Danorumq; agros vrit vastatq; vicißim.
Consilioq; isto Sueticis auertit ab aruis
Haddingi irati rabiem sæuamq; procellam.
Qui vix in patriam indignansq; fremensq; regreßus,
Momento adueniens trepidantes expulit hostes.

Inde

Inde animum curis belli Martisq; relaxat,
Inspicit & regni reditus, res & rationes,
Percensetq; viros, & regni æraria furum
Compilata manu deprendens imperat ipsum
Quæstorem Glomerum suspendi & reste necari,
Pòstq; reos pœna patefactos multat eadem.

IIII. EXPEDITIO IN SVECIAM aduersus Vffonem filium Asmundi.

HInc dum sæuit hyems cœlo & nymbosus Orion,
Delectu supplet turmas, stipendia, victum
Præparat & vestes & quæ Mars cunq; requirit,
Nascentisq; anni primo cum vere mouebat.
Tum verò totos infelix quinq; per annos,
Fortuna variante vices & numine læuo,
Excercet Martem vanoq; labore fatigat.
Donec dira fames, cum vomer & vsus aratri
Cessarent, spretisq; filix assurgeret agris,
Cogeret immundas animantum attingere carnes,
Germinaq; ex imis rimari & vellere terris,
Postremò rabidos humana in viscera dentes
Condere &, infandum, proprios depascier artus.
Tandem igitur vires fregit bellumq; famesq;
Haddingi, lassusq; domum ac in regna reuersus
Dicitur horrendis terroribus exagitatus.
Quos pecudum fibris nigrarum & sanguine fuso
Frô Diui sacras vix tandem effugit ad aras.
Quæ dein sacra suos docuit seruare nepotes.

DVCIT

DEq; tori socia sibi iam circumspiciebat,
Et placet ante alias omnes Regnilda puellas,
Quam pater Arctoæ princeps tum gentis Haquinus
Pollicitus fuerat Nitheroro portentoso.
Ergo Noruagicos adit & certamine forti
Inuisum sternit monstrum, potiturq; cupita.
Quam secùm in patriam reuehit dum nauibus, æquor
Veliuolum sulcans, cum dote auriq; metallo,
Penè à piratis medijs est captus in vndis.

V· EXPEDITIO ADVERSVS Thunningum Biarmensem.

VFfoni nondum clades sæuiq; dolores (dus
Exciderant animo, nuncq; hoc formidine fœ-
Coniugiumq; nouum magis illum fixit & vßit.
Ergo dolo meditans hostis præuertere vires,
Omnia perpendens curas se vertit in omnes,
Et tandem hæc animo melior sententia visa est:
Edicit, quicunq; virûm fortissimus ausu
Intrepido superans Haddingum tollere posset,
Huic fore pro meritis dignißima præmia, natus
Vxorem è cunctis quæ sit pulcerrima Regis.
Hac spe Thunningus quidam de gente Biarma
Et sponsæ & laudis vano succensus amore,
Præstigijs fisus magicis atq; arte suorum.

Rem sibi præsumit: totamq́ in prælia pubem
Commouet excitam, Danicasq́ aspirat ad oras.
Præuenit Haddingus, classemq́ educit ad Arcton,
Noruagicosq́ legens portus & littora circùm,
Longæuum nactus, quem docto opponeret hosti,
Accipit in naues, Hic cœlum inuoluere nymbis
Carminibus poterat, factasq́ fugare procellas.
Hoc duce progressus Biarmenses dira minantes
Strauit, spesq́ amplas Thunningi fecit inanes.
Discedensq́ Senex dedit hæc oracula Regi,
Non armis aut vi, sed sponte sua moriturum,
Quare operam bellis semper Martiq́ locaret
Securus lethi, laudemq́ & regna pararet.

VFFO HADINGO INSIDI- as struit.

NEc sic insidijs meditatis destitit Vffo,
Spem vultu simulat, premit alto corde dolorem,
Nomen amicitiæ venerandum & fœdera præfert,
Colloquiumq́ petit Regis, nec id abnegat illi
Haddingus, ponensq́ metus Vffone vocante
Aduenit in Sueciam parua comitante cohorte.
Comiter excipitur veniens, tractatur amicè,
Instauratq́ epulas mensis regalibus Vffo,
Splendidaq́ incautum vocat ad conuiuia Regem.
Postquàm exemta fames dapibus mensæq́ remotæ,
Crateras magnos statuunt, Cererisq́ coronant
Spicigenam pateraq́ bibunt spumante liquorem,

Inter seq; vrgent magnis tentantq; cululli,
Paulatimq; subit venas & viscera potus.
Dispo tæ ante fores stabant ad limina diræ
Insidiæ, quæ cuiq; foras cum membra caputq;
Exereret, ferro truncarent demeterentq;.
Sed patefacta rei fraus est atq; irrita facta.
Elapsusq; fuga Gramides conamine summo
Instaurat bellum, Sueticasq; recurrit ad oras,
Occultosq; dolos manifesta vlciscitur ira.
Et latè Sueticos consternit funere campos,
Vffonemq; alios inter super ipse trucidat.
Cumq; nece illius flammas irasq; remittit,
Magnificisq; Ducem regali more sepulcro
Condidit exequiis extructi Mausolei.
Vtq; animos gentis læsos sibi conciliaret,
Hundingo Vffonis germano tradit habenas
Et rerum summam fido gratoq; futuro.
Hisq; intra regni recipit se limina gestis.

DOMI TOSTONEM SEDItiosum opprimit.

IAmq; æui quodcunq; super vitamq; quiete
Duxisset placida bellis & Marte sepulto:
Ni fata obstarent & portenti noua pestis
Exorta optatæ turbasset munera pacis.
Namq; ipso inuisus sceleratus nomine quidam
Tosto fuit, petulans natura & seditiosus,

Obſcuroq; loco natus ſed diues agrorum,
Quem tulerat propriam ſibi peſtē Cimbrica tellus.
Huic animos dederat tam crebra abſentia Regis,
Gentileſq; ſuos primùm vexauit amarè,
Inde etiam inſurgens Dominumq; laceſſere Regem
Impius aggreditur totoq; expellere regno.
Saxonicumq; Ducem Syfridum fœdere iungens,
Cum Rege Holſatis acie conflixit in aruis,
Atq; illum ſuperans vincit funditq; fugatq;.
Nec diuturna tamen ſceleri victoria manſit.
Agmina namq; heros iterum ſubitaria cogens,
Perfidiam famuli Toſtonis punit & auſus
Sacrilegos. Fugiensq; accepto vulnere Toſto
Fit pirata mari. Sed pòſt in regna reuerſus
Haddingi occubuit gladioq; manuq; peremtus,
Et quam commeruit perſoluit ſanguine pœnam.

FILIA ET GENER HADINGO insidiantur.

MOrtua iam fuerat fatis Regnilda peractis:
Sed tamen antè domū partu feliciter auxit
Tergemino. Froto, Suanhuita, Vluida fuêre
Nominibus dictæ ſoboles, quarum vltima patris
Imperijs cuidam plebeio nupta Guthormo eſt.
Nocte viri dulces carpentis pectore ſomnos
Regnilda ante torum, qualis cum viua fuiſſet,
Aſtare & viſa eſt tales effundere voces:

Bellua

Bellua nata tibi est robur domitura ferarum,
Care vir, atq; ex me nocuus tibi prodijt ales.
Consulitur vates, qui Regi talia reddit:
Filius est natus tibi, formidabilis hosti:
Sed tua nata tuam insidijs petet improba vitam.
Nec res vana fuit, Nam filia nupta Guthormo
Vluilda exitium patris interitumq; coquebat.
Dumq; petit regnum pietatem negligit omnem,
Atq; virum instigat lacrymis crebrisq; querelis,
Ne se despectam patiatur, neu sibi desit,
Ipsis deberi deliro regna parente,
Audeat ergo, manuq; sibi sibi debita quærat,
Se duce, consilijsq; suis fastigia regni
Occupet, haud aliàs aliter quæ possit adire.
His victus tandem promptè se iussa recepit
Facturum, & soceri modò mortem in pectore versat.
Rursus at in somnis de nocte monetur Hadingus,
Vt caueat generi & blandæ molimina natæ.
Illa dapes festas parat, accersitq; parentem
Officium simulans. Venit ille & dissimulat se
Scire quid occeptent, circum tamen atria lectos
Disposuit iuuenes sibi præstò ad signa futuros.
Hi properè acciti cum res id posceret, ipsum
Insidiatorem iussi occidere Guthormum,
In caput infandumq; dolosq; scelusq; retorquent,

ET quamuis Regem dij seruauêre benigni:
Conscia consilij tamen omnia fama per ora
Iam tum missa volat, fatumq; euulgat Hadingi,
Hunc natæ cecidisse dolis generiq; Guthormi.
Nec non & Sueonum syluas camposq; patentes
His etiam, Hundingumq; ipsum rumoribus im-
Qui fortasse dolens cari de morte patroni (plet.
Manibus exequias Haddingi & iussa parabat,
Nobiliumq; omnem vocat ad conuiuia cœtum,
Sumptu, delicijs luxuq; instructa superbo.
Conuenêre illi, strato discumbitur ostro.
Neue voluptati quid læticiæue deesset,
Ipse ministrabat Rex, vrgebatq; ministros
Officium vt facerent, conuiuasq; exhilarabat
Increpitans vt quisq; animum frontemq; serenam
Sumeret, & secum magni memor esset Hadingi.
Aulai in medio stabat de more repostum
Vas ingens, potus veluti scaturigo perrennis,
Vnde hausto iuuenes miscebant pocula Baccho.
Omnia feruebant, variæq; per atria voces
Miscentur, strepitu nunc huc nunc voluitur illuc
Turba frequens, & Rex studiosus obambulat omnes.
Qui vagus incedit dum forte incautius, in vas
Corruit illapsus præceps, animamq; sub vndis
Dulcibus efflauit, subitoq; silentia fecit,
Atq; insperato mutauit gaudia luctu.

Nec

SERIES ET GENEALOGIA REGUM DANICORUM, QUI AB INITIO REGNI, USQUE AD CHRISTUM NATUM REGNARUNT,

COLLECTA EX QUINQUE PRIORIBUS LIBRIS SAXONIS.

Humblus

Dan ex Gryta Germanica.

Angul

Humblus, Dan & Angul postremi, ut apparet, gentis nostræ gubernatores seu iudices erant, Quibus Reges successerunt. Et omnimo honestißima nomina sunt. Humblus enim oratorem significare uidetur, ab Hemulla id est, copia seu strepitu sermonis. Dan iudicem significat, Angul delicias & gaudium sonat.

HUMblus. REX. I
Quem aliqui Dauidi σύγχρονον faciunt, aliqui antiquiorem. Hic forte nouo regno nouū nomen de suo patre indidit. A fratre regno exutus est.

LOTherus. II.
fratri regnum eripuit. Ob tyrannidem à subditis trucidatus.

SKIOldus. III.
ex
Aluilda Alemanica

GRA[illegible]

Ex GROua filia Sictrugi Regis Sueciæ

Filia ἀνώνυμος.
Quam Suibdagerus rapuit, unde bellum diuturnum exarsit, In quo Gramus occubuit.

GVthormus gubernator Daniæ ὑπεύθυνος.

Ex SIgne filia Sumbli Regis Finnorum.

HAdingus. V.
ex
REgnilda filia Asmundi Regis Sueciæ.

FRoto. VI.

HAldanus. VII.
Occidit fratres ut regno solus potiretur.

ROe. Scatus.
Ab Haldano fratre interfecti.

ROe. VIII.
Roskildiæ conditor.

HElgo. IX.
Heluo, libidinosus, crudelis.

Ex Thora.

VRsa, & ex eadem Vrsa

ROluo Krage. X.
Ab Hiartuaro, impulsu Sculdæ per insidias in arce Lethra trucidatus.

Ex alia quadam

Ruta

SCulda, *fœmina impia Vluildæ similis. Eam frater Roluo Hiartuaro uxorem dedit, & eum Sueciæ præfecit.*

VLuilda *mulier dominandi cupida, impia in patrem & fratrem. Nupta*

I.
GVthormo *quem ad insidias patri suo Hadingo struendas compulit.*

II.
VBboni, *qui suasu uxoris absente Frotone regnum inuasit.*

III.
SCotto, *cum quo in Scotiam abijt.*

SVanhuita φιλάνδρος *halcyone, mariti mortui desiderio extincta est.* — Regnerus Rex *Sueciæ pronepos fortasse Suibdageri Suanhuitam uxorem duxit.*

HOTbrodus
Rex Sueciæ ab Helgone trucidatus.

Hôterus. XI.
Roluoni ab Hiartuaro interfecto surrogatur.
ex
Nanna filia Geuari regis Noruegiæ.

Rôricus. XII.

GErutha.
Quam pater Horuendillo. XIII. ob uirtutem in matrimonium dedit, & eum Cimbricæ Chersoneso præfecit. — FEngo XIIII. *frater Horuendilli, quem occidit & coniugem eius Geruthan und cum Iutiæ dominio accepit.*

Amletus. XV. *Liuiano Bruto similis, Fengonem sustulit, ipse deinde à Vigleto sublatus.*

VIgletus XVI. *Hic Rôrici filius fuisse uidetur, quia post mortem Rôrici, Cimbricæ Chersonesi ditionem ad se retraxit, totius Daniæ Rex factus.*
ex
HErmotruda *Regina Scotiæ*

VErmundus XVII.
VFfo. XVIII.
DAn. II. R. XIX.
HUgletus. XX.
FRoto Starcke II. R. XXI.
DAn. III. R. XXII.
FRidleuus Celer. XXIII.
FRoto. III. R. XXIIII.

Quo regnante Dominus & Saluator noster IESUS CHRISTUS *ex Maria Virgine natus est.*

Nec minus hæc etiam subitò vaga fama recurr-ns,
Antè quidem fictæ mortis nunc nuncia veræ,
Haddingo memorat tam fidi fata clientis.
Qui casu indigno tanti commotus amici
Indoluit grauiter, luctuq; est ictus acerbo.
Et quoniam senior, canisq; inglorius annis
Viueret, vt forti laudem quoq; morte pararet,
Quam tot præclarè gestis cumulauerat antè,
Hundingi causa sibi tardam abrumpere vitam
Constituit. Magnaq; hominum spectante caterua
Ipsius accita imperio, stans ipse theatro
Excelso, guttur laquei nodo implicat aurei,
Et se suspendens lucemq; aurasq; relinquit.

FINIS.